



† R. P. Rudolfus Springer (1884-1953)

(*Prov. Austriacae*)



Filius ludimagistri Rudolfus Springer mundum intravit die 11 Martii 1884 in vico Stoizendorf Austriae Superioris. Tutela et amore parentum circumdatus infans et puer crescebat, et gratia Dei erat cum illo. Missionarius postea in instructione matribus et mulieribus habenda exempla e paradiso propriae infantiae afferre gaudebat. Anno 1902 noviciatum ingressum iuvenem Servus Dei P. Janaushek, tunc temporis magister, ferventi amore vocationis Redemptorianae implevit. Postea P. Springer, iam vir et religiosus maturus, saepius dicebat: « Semper Patrem Janaushek imitari studebam ». Quicumque duos istos noverat, verba haec confirmabit.

Votis anno 1902 emissis Fr. Springer per annos Studentatus Patri Mair tamque Praefecto subordinatur, qui segetem, quam pia mater in pueruli anima

plantaverat, rigavit, et incrementum dedit Deus, qui Fratrem Springer die 29 Iulii 1908 sacerdotio donavit. Pater iuvenis desiderium vitae apostolicae sacrificare cogebatur, quia Superiores eum insequenti anno Romam ad primam nostram Scholam Maiorem ire iusserant, ut Lector in Studentatu fieret. Postea missionarius interrogatus, curnam numquam munus docendi exercuisset, subridens respondebat: « Viae Domini sunt ».

Per totam vitam P. Springer toto animo missionarius erat, immo absque dubio in Provincia Austriaca dux ceterorum, quamquam primis undetriginta annis sacerdotii nunquam Superior domus erat et seipsum « simplicem operarium in vinea Domini » nominare amabat. Non tantum ferventi corde missiones praedicabat, sed etiam vigilanti ingenio novas hodieꝛnorum temporum exigentias modernamque psychologiam considerans proavorum hereditatem perficere et, ubi necessarium erat, etiam relinquere et novas vias quaererere audebat. Numerum missionum aliorumque laborum apostolicorum, quibus interfuit, statuere impossibile videtur. Nec solus numerus omnia dicit, quoniam P. Springer fere semper ad missiones durissimas et maxime intricatas mittebatur. Quod proprio ingenio, industria, experientia sibi acquisiverat, libentissime etiam cum aliis communicabat, praesertim cum Patribus iunioribus, quos tamquam Praefectus secundi tirocinii operae missionali adparare iterum atque iterum iuebatur. Virum adeo in optimo sensu virilem etiam interdum verbis et animadversionibus forsani iusto acutioribus contra nimium traditionalismum et institutionalismum usum esse nemo aegre fert, qui ardentem ignem apostolicum amat. P. Springer etiam is est, qui institutionem missionum domesticarum, quas in Germania noverat, in Provinciam Austriacam introduxit.

Nominationes anni 1936 missionarium tamquam Rectorem in Leoben duxerunt, ubi aerumnae maximae eum exspectabant. Usque ad mensem Febr. 1938 omnia in hac urbe Stiriae tranquilla manserunt, sed ex eo tempore manifestationes cancellarium Schuschnigg aut defendentes aut impugnantes vices mutabant. P. Springer multis sacerdotibus et etiam aliquibus Redemptoristis clarius praevidebat eventus futuros, Austriam nempe a Germania nazista incorporatam et religionem christianam crudeliter oppressam. Cum vero Hitler Austriacos vocasset, ut sic dictis liberis et secretis electionibus, quae revera libertate et secreto carebant, annexionem Austriae a se factam approbarent, P. Springer per totum diem inveniri non poterat. « Votum affirmativum ferre conscientia mea vetat », inquebat, « negativum dare nequeo tamquam Rector domus ». Hoc enim modo, quia electio non erat vere secreta, existentiam domus periclitatus esset. Nihilominus ei arrisit, quod Patres iuniores et Fratres coadi. suffragio Hitlerum reiecerant. Prima aestate expropriatio domus coepta est, quae gradatim peragebatur. In inquisitionibus aliisque molestiis Rector sicut pater, ne dicam sicut mater,



familiam religiosam eiusque proprietatem defendebat. Cum illo tempore tyrannum, ut partem conventus sibi relinqueret, movere vellent verbis diabolice astutis « pro bono populi », respondit: « Ergo pro meipso hoc unicum cubiculum inhabito. Non dubito, quin unusquisque vestrum non unum cubiculum, sed totam seriem occupaturus sit. Nonne melius esset vos relinquere vestras grandes habitationes quam mihi meisque confratribus auferre unicum cubiculum? ». Hic et in aliis occasionibus Patres iuniores rapti erant versatilitate, fortitudine, audacia Rectoris et infamia, qua adversarios asperserat.

A. 1939, Monachii Hitlero ad mortem petito, nova inquisitio Austriacorum patriae amantium facta est, etiam duo PP. Redemptoristae capti sunt, quorum unus P. Springer. In custodia in morbum gravissimum cerebri incidit (*Gehirngrippe*), quem ipse bene cognovit, et tunc mori maluit quam per annos saeve vexari. Festo Nominis B.M.V. dimissus, clare videbat se adhuc multum passurum esse. In relicta adumbratione epistulae legis: « Pro me sanatio non est possibilis, torpor semper amplius progredietur. Roga quaeso, ut fortiter passionem perferam ». Verba plane Patris Springer insignia. Cum die Pentecostes 1948 ultima vice Sacrae Missae sacrificium litavit, circumstantes quandam virtutem supervenientis Spiritus Sancti sentire putabant. Sequenti die confratri sese in valetudinario visitanti dixit: « Dies ater! ».

Per aliquod tempus fidelis nosocomus Fr. Stanislaus eum in sacellum ducere poterat, usquedum tantum e lecto Missae celebrationem participare posset. Torpore semper progrediente intellectus clarus permanebat. Omnes eventus ad Ecclesiam vel Congregationem spectantes ei cordi erant. In hac conditione miserabilissima P. Springer semisaecularem professionis religiosae memoriam peregit. Postquam votis coram Patre Provinciali renovatis Puchheimienses — morbo cognito, sicut ipse rogaverat, in domum Puchheim translatus erat — quorum praeses in unione *Reichsbund* olim fuerat, vetus carmen foederis sui decantaverunt, oculi « missionarii rebus adversis probati » maduere et uniuscuiusque virorum manum premens interrogare videbatur: « Adhuc idem es atque olim ut sodalis foederis nostri? ».

Hic dies Completorium vitae laboribus et aerumnis plenae fuit. Rigiditate corporis semper crescente die 27 Ian. h.a. in medio confratrum orantium sacra unctione roboratus, die 29, dum campanae ad *Angelus* sonant, exaudiri coepit oratio ista: *ut per passionem eius et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur!* R.I.P.